B. N. C.
FIRENZE
1 0 3 4
11

1034 11

B

18
CANZ.

note mss
nell'ultima
carta B

B

IX

CANO

note ms
nell'ultima
carta

1034.11

REDITVS

IN PISANAM ACADEMIAM

IOANNIS BAPTISTÆ CANOSSÆ

I.C. Pontremulenſis,

EQVITIS SANCTI STEPHANI:


ORATIO

Ab eo publicè habita

In Aula eiuſdem Academiæ Magna.







PISIS, ex Typographia Franciſci de Dotibus.

Superiorum permiſſu. 1634.

1034. 11

ILLVSTRISS[MO.]: ET REVERENDISS[MO.]: D.

D. HIERONYMO A SVMMAIA

ECCLESIAE D. STEPHANI ANTISTITI,

Et Piſanæ Academiæ moderatori meritiſſimo,
Ioannes Baptiſta Canoſſa.

S. P. D.

DVm aliud ago, hæc mihi excidit oratiuncula. quæ, cum parentis abhorreat tenebras, tuam ſe in lucem recipit, PRAESVL ILLVSTRISSIME. *Nec enim quicquam curat parum benignos, ſi qui ſint, monita, iniuſtè aliena reprehendere, qui meliora nō protulerint. Te rogat, vt parentē ſuum tibi, & meritis tuis, addictiſsimum exerceas aliquando, eiuſque ingenuitatem inſpicias, ames: & iubet (pro voto, non pro imperio) vt viuas, valeas, ame, ac fœliciter.*

 ORA-

ORATIO.

OPtatiſſimam ego rediturus hanc in vrbem, vnde ſuperioribus annis vltrò quidē, ſed incredibili cum animi mei moleſtia receſſeram, tanta perfuſus ſum lætitia, PRAESVL ILLVSTRISSIME, Sapiētiſsimi Patres, & collegæ, generoſi Adoleſcentes, voſque cœteri Auditores optimi, ornatiſsimi; quanta perfundi ſolet is, qui longo vel regionum, vel temporis ex interuallo, tandem aliquando dulciſsimū ſoli natalis, & ſuorum in ſinum ſe ſe recepturus eſt. Sed ita fert humanarum rerum conditio, vt ſuas roſa ſpinas habeat, ariſtas ſpica, & ſerenitatem nubes, diem nox, voluptatem curæ conſequantur. Etenim, cum ſingularis veſtræ humanitatis obliuiſci nec debeam, nec poſſim, ab humaniſſimis autē viris expectanda ſint omnia, vehementer ſollicitus fui, ne ad officij lapidem dicerer offendiſſe, quo verbum ſplendo-

do-

dore, aut cultu, aliqua ſaltem ex parte reſponderem veſtræ huic tantæ hilaritati, qua pro certo habebam, fuiſſe vos iam me excepturos. Huc etiam accedebát & recepta iam ab omnibus cóſuetudo,& Cathedræ huius maieſtas,& Aulæ,vti omnium ampliſſimæ, ità & omnium nobiliſſimæ dignitas, & recens hic meus in extraordinarij iuris ciuilis prouinciam ingreſſus, quæ ſolemnis a me aliquid, & perfecti, ſi minus expectare ab ingenio, expoſcere certè à munere videbantur. Neque verò tantiſper ab ea cogitatione conquieui (planè vt non cuipiam magis, quàm mihi, non e Muſarum lauretis, ſed e Phœbi Cortina,ceciniſſe crediderī Venuſinū

„ Poſt equitem ſedet atra cura)

donec res meas diligentiùs, quàm ſoleo, atque accuratius, intuenti mihi in mentem venit, reuerſum huc eſſe me non aduenam, ſed,penè dixerim, ciuē, non exterum, ſed alumnum,profeſſorem iuris,non eloquentiæ, ad docendum, non ad dicendum, &, quod pertinet ad officium, ſatis iam vobis notam eſſe, ex præteriti recordatione temporis, meam in vos omnes grati, & obſequentis,animi propenſionem. Quamobrem,quod longa ex abeſentia reuerſi & rogari, & præſtare conſueuerunt, vt nimirum diſceſſus, abſentiæ, & reditus ſui cauſas, ac ratio-

nes, exponant, id ego, qui iam eadem ſum in cauſa, præſtabo hodiè apud vos, Auditores. quoniam, ſi mearum volumina ærumnarum Iliade prolixiora breuiter vobis percurrero, nihil planè vereor, quin aliqua me commiſeratione dignum fuiſſe iudicetis. Vix enim hoc Alphææ noſtræ in ſinu iuris interpretandi pelago me cõmiſi (non quod Herculeas ad columnas, aut Corinthum, peruenire poſſe confiderem, ſed ne turpiter e littore ſpectarē glorioſè cœteros eò velificantes) cũ ſubitò non aduerſam quidem Aſtræam, non inuitam mineruam, ſed (licet nihil mihi cum Paride) reluctantem omninò Iunonē expertus ſum. quæ patrijs mihi ab oris, vnde zephiros expectabam, Auſtros, Euros, & Aquilones, commouit, excitauit, irritauit. Oborta inde mihi ſtatim domeſticarum curarum tempeſtas eſt, fulgurate, tonare, cœlum, & terra miſceri, & luctari adeò cœperunt venti, vt quinquennij etiam ſpatio, non ſolum me in altum non vehi, ſed ne e portu quidem ſoluere paſſi fuerint. Quinimmò, niſi animos mihi feciſſet tua, HIERONYME ILLVSTRISSIME benignitas, & veſtra, Patres, & iuuenes, humanitas, facilè ipſo etiam in portu naufragium mihi facere contigiſſet. Deus imortalis. Peraro nubes, quaſi bellum nobis indixerint, vnum,

aut

aut vix alterum etiam diem, cœlum obducunt, ſed ſtatim mœrorem noſtrum pertæſæ, & lachrymantes, ſuauiſſimas ſe diſſoluunt in pluuias, quibus tandem, aut ingruentes morbos repellunt, aut terræ ſinuum fœcundant, aut rugientis e cœlo leonis ardores eſtinguuunt, mox ſe ſe aperientes non ſolum cœli ſerenitatem, & eam quidem longè, quam anteà, gratiorem nobis reſtituunt, ſed prætereà etiam, pulcherrima illa pacis prænuncia Iride, ab omni prorſus mœrore nos eximunt: &, ſi forte fulgur aliquod, aut tonitru ipſis de ſinu exciderit, tunc, vt quantum nos perterruerunt, tantũ, & eo ampliùs, exhilarent, mirum, quem varia, & quam iucunda, de ſe nobis ad ſolis radios præbent ſpectacula. Aliquãdo enim ſpatioſos, immenſos modo placidi, modo æſtuantis maris aperiũt ſinus, in quibus paulò denſior nubes aut prominet, vt inſula, aut eminet, vt ſcopulus, aut circumadiacet, vt littus: Aliquando ſe vel explicant in planities, vel exponunt in ſyluas, vel reponunt in lucos, vel ſubleuant in colles, vel eleuãt in montes, vel attollunt in rupes, vel extollunt in alpes, vel deprimunt in valles: Aliquando ſe ſe conglobant, quaſi montibus ſuperimponere velint mõtes, & Phlegræ bellũ nobis effingere: Aliquãdo aceruos ignis, aut niuiũ globos, repræſentãt, qua-

ſi præbere nobis velint, vnde vel hiemis rigores, vel calores æſtatis, temperemus. Quid plura? ludit cœlum, vt terra exhilaretur. Sed mihi ærumnarum nubes non vnum, aut alterum diem, ſed annos complures, bellum non indixerunt, ſed geſſerunt, ſerenitatem animi non reſtituerũt, ſed obduxerunt, mœrore me confecerunt, non exilararunt. miſerum! quibus ego tunc curis, quibus animi moleſtijs diſtrahebar? quoties in ſuggeſto, dum medio adhuc interpretationis eſſem in curſu, in exedra, dum, vt cum maximè, diſputaremus, in lárario, dum ferue-rent repetitiones, contigit mihi extempore animo peregrinari? & ſanè, ſi ſtudium eſt vehemens animi aplicatio ad ea, quibus operam damus, quonam pacto Iuris prudentiæ ſtudio incumbere poteram, ſi animum curis implicitum ad eam aplicare non poteram? Poetæ, vt ſcitis, naſcuntur. Vnde multoties videmus, carmina illis vltrò, ac ſponte, vel inter ſomnum, & vigiliam, numeros ad aptos profluere, ipſoſque, vel dum equitant, deambulant, comeſſant, tripudiant, dum aliud agunt, dulciùs omninò, ac ſuauiùs canere, quàm dum nihil agunt aliud. Ipſe, multis ab hinc annis, dum Romam pergerem, colloqueremurque in via de bello neſcio quos inter Principes compoſito, & pace inita, memi-

memini, quendam ex comitibus meis, adhuc puerum, quique vix didicerat ſyllabam longam, aut breuem, dactylum, aut etiam ſpondeum, ſtatim in rem præſentem canere

Quadrupedemque aures ſpumoſas ore gerentem

Ia n nigrum nitido puluere ſiſtit eques:

& tamen, ſi poetis aliquid non ex eorum voto contigerit, ſi tranquillo penitus, & ſereno non ſint animo, ſi nubem aſpexerint, ab ijs aut nihil aud ij omnino, aut prorſus incultum, aſperum, claudicãs, & maiori certè cum difficultate, quam a Proteo veritatem, clauam ab Hercule extorqueres. Quid ergo dicendum nobis erit eo in ſtudio, ad quod nati non ſumus, ſed facti, & magnis quidem cum laboribus, vigilijs, ac ſudoribus, quo nullum eſt ſerius, nullum ſeuerius, in quo non minus in hieme ſudamus, quàm in æſtate, eo tempore, quo tranquillo non ſumus animo, ſed propè infinitis moleſtiarum fluctibus æſtuante? Prodeat diuinis cumulata muneribus Pandora, & ius edoctura Cathedram aſcendat: profectò, ſi curis inuoluatur, ſaxum voluet. Mars tumultus, Pallas quietem exigit, nec, quem geſtat Aſtræa, gladius eſt belli, ſed pacis. Cum itaque illa ego in tempeſtate verſarer, intelligeremque ſemel a fortuna oppreſſos, ab ea diù, ac tenaciter vrgeri

geri, neque verò eius impetus ſuſtinere diutiùs poſ-
ſe conſiderem, quæ mihi parum eſt firma valetudo,
nec ſatis hilaris genius; vela contraxi, nauim ſub-
duxi, armamenta collegi, abij: Volens quidem,
neſcilicet aut abriperer in breuia, aut allidecer ad
ſcopulos, aut obruerer ab vndis, aut dilacerarer a
ventis, ſed non libens. quoniam dum a mea Piſa-
rum vrbe diuellebar, dum incepta ſtudia deſere-
bam, ipſe me deſerere, & a me ipſo diuelli videbar.
Florentiam primum, hinc Senas, inde rurſus Floren-
tiam me recepi. Senis cœli tēperies, benignitas ciui-
um, tot ſodalium meorum comitas, maieſtoſa ædi-
um tum ſacrarum, tum priuatarum, antiquitas, nul-
lo vel theſaurorum pretio æſtimabilis pictarū ima-
ginum elegantia, mira conchylij in ſpeciem plateæ
illius ſtructura; quam vndique coronant ædes quà
vijs, quà pinnis, quà turribus diſcriminatæ, in cu-
ius ſemilunari dorſo æqua via ſtrato, mirum quàm
commodè deambulant, e cuius mãmis geminæ
lupæ, quaſi papillæ, puriſſimas effundunt aquas;
in cuius denique procliui, & curuo ſinu, varij ſtatis
diebus, & ij quidem nobiliſſimi, exercentur ludi;
hæc inquam omnia Senis me præſentem detinuiſ-
ſent, ſicuti abſentem allexerant, niſi Piſarum me-
moria, amor, deſiderium, & meorum intermiſſio

ſtu-

ſtudiorum, impatientem me, ac planè faſtidioſum redlidiſſent. Florentiæ verò quis, vel inuitus, non commoretur? Regia Sereniſſimo illo ſole conſpicua, cuius, etiam àb oriente, lucem plures non capiunt orbes, Principum, Aulicorum, Senatorum, equitum, cœterorumquæ ordinum, numerus, ac ſplendor, viridaria, horti, fontes, platearum laxitas, viæ longè, latèque, in immenſum explicatæ, ſigna, ſtatuæ, coloſſi, columnæ, ſacræ teſtudines, quæ cœlum & capiunt, & ſuſtinent, ædificia omnia regijs planè ſumptibus excitata; ſicuti non extremos tantum Italos, ſed Gallos quotidiè, Germanos, & remotiores etiam quaſcunque orbis terrarum nationes, atrahunt ſui fama, detinent admiratione, itì, & multo magis, me, qui ſub hoc cœlo natus ſum, cuique præthereà non pauci ſunt ea in vrbe ſanguine coniuncti Magiſtratum gerentes viri, abire inde paſſa non fuiſſent, niſi meliore mei parte, ea nimirum, quæ vna hiſce oblectari, & frui poteſt vna, Piſis fuiſſem, dum eram Florentiæ. Quaprópter cum primùm apparuere Dioſcuri, ſedataque iam tandem meatum fuit ærumnarum tempeſtas, ac proinde à domeſticis curis reſpirare, intermiſſaque ſtudia reuocare potui, nihil omninò mihi longius fuit, quàm vt eo redirem, vnde abeſſe diutiùs

non poteram. Et iure ſanè merito. Nam, vt omittam, quæ mihi hac in Vrbe cum cæteris communia ſunt, placidiſſimum ſcilicet regionis genium, magnæ meæ Religionis Sedem, Equitum, ciuium, omnium vrbanitatem, tẽplorum, viarum, palatiorum maieſtatem, ſtatuas, fontes, ſalubritatem aquarum, armamentaria, naualia, arces, turres, ſeù potius architecturæ miracula, muſarum, Aſtræ, Palladis, ſacraria, parietes ipſos ſapientiam redolentes, quorum multa inſignem inter alias Vrbes Alphæam reddunt, pleraque ſingularem; hic ego, ſi minus natus, certè altus, & educatus ſum, hic diutiùs multo, & multo etiam iucundiùs vixi, quam vbi primùm auras vitales hauſi, hic maiorem actæ iam meæ ætatis partem traduxi, hic ego & litteris pro meo rudi ingenio vtcunque imbutus, & laurea coronatus, & Cruce inſignitus fui, hic denique multorum patrocinio fruor, quam plurium amicitia, omnium benignitate. Quæ quidem, falſa ne, an vera ſint, perſpicere vos ipſi, ac dijudicare poteritis, Auditores. quibus non aliorum requirendum eſt teſtimonium, ſed propria recordatio, non ab auribus repetenda veritas, ſed ab oculis, non auditis fides adhibenda, ſed viſis. Quod ſi veriſſima ſunt, a ſapiente autem illo, æquè ac Magno, Macedonum

Impe-

Imperatore accepimus, non minus debere nos ijs, a quibus benè eſſe, quàm illis, a quibus eſſe habemus, quàm ego huic patriæ, & vobis omnibus, quibus accepta hæc omnia referò, deuinctus ſim, clarè, ni fallor, atque apertè, dignoſcitis. ac propterea, niſi omnium peſſimo animi affectu arguere me velitis, fatendum omnino vobis eſt, hoc meo ad vos reditu nihil mihi vnquam gratius, nihil acceptius, nihil magis ex animi ſententia contigiſſe. & certè non tam libenter Ithacam reuerſus eſt olim Græcorũ ille ſapientiſſimus, qui propterea immortalitatem contempſit (nimium profectò in hoc errans) quam ego iam non in nidum ſcopulo affixum, ſed in Vrbem maieſtate, & gloria, propè dixerim, Cœlo hærentem, vbi quicquid eſt in me aut honoris, aut dignitatis, iam ſum conſecutus, & cõſequi etiam poſſum, niſi ipſe mihi velim deeſſe, aliquam nominis famam, ſi minus immortalitatem. Cum itaque intelligatis, abijſſe iam quidem me a vobis, ſed tam inuitum, neque vero, vt abirem, ſed vt aduerſam, cui non poteram reſiſtere, fortunam effugerem, abfuiſſe, ſed rudiori hac tantum mei parte, non etiam animo, iam verò ad vos reuerſum eſſe, & cum eodẽ prorſus, &, ſi fieri potuiſſet, etiã maiori in vos omnes ſtudio, & obſeruantia, reliquum

vobis eſt, vt vos quoque eadem me, qua conſueuiſtis, & etiam maiori, foueatis hilaritate. Si enim pictori Coo, cui etiam manus os fuit, pennicillus lingua, color vox, tantum in ea, quam profitebatur, arte profecerat, ſi Indo ei ſagittario, qui vel in annulum ſagittam dirigebat, adeò erat in iaculando verſatus, ſi perfectiſſimis inquam hiſce viris, qui ſua in arte facilè primas ferebant, vnius, vel alterius diei otium, non parum attulit moleſtiæ, atque adeò periculi; non poſſum non valde animo commoueri, ac propemodum deficere, dum video, tam graue ſtudium, quod aſſiduam exigit exercitationem, in quo parum eram verſatus, nihil profeceram, ac proinde ne vltimas quidem ferebam, ne dum primas, aut ſecundas, eſſe iam mihi non dierum, non menſium, ſed annorum ex interuallo renocandum. Dixi.

Z
1034.11

1034.11

Ditta SALVAREZZA s.a.s.
RESTAURO
Via A. Cervi 5 - Roma